

extrinseca, tamen relatio in finem inhæret actioni, et potest suaderi primo; quia actus voluntatis sic bonus, vere, ac proprie est propter finem illum, a quo sumit hanc bonitatem: ergo revera tendit in illum: ergo ab illo accipit aliquem modum, vel specificationem intrinsecam, et realem respectu cujus ille finis se habet, ut ratio formalis specificans. Secundo, quia omnis bonitas voluntatis oportet, ut sit aliquid reale, alioqui vel nihil erit, nisi denominatio extrinseca, vel relatio rationis: hæc autem non possunt habere rationem formalis bonitatis, quia per hæc non efficiuntur boni, sed realibus actibus quibus aliquid volumus. Et confirmatur, nam si hæc bonitas solum esset denominatio quædam, nihil magis referret ad virtutem, vel meritum, quam bonitas exterioris actus: hoc autem videtur esse contra rationem bonitatis interioris voluntatis, quia bonitas voluntatis debet esse intrinseca, et in hoc differt ab aliis exterioribus actibus. Tertio, nam si hæc bonitas est denominatio, peto a quo actu sumenda sit: aut enim ab intentione ipsius finis, et hoc non, alioqui eadem ratione dicendum esset omnem electionem esse bonam tantum per denominationem extrinsecam ab intentione finis, quia ab illa manat, et imperatur eodem modo, aut ab actu imperante, qui respiciat directe actum imperatum interiore et objectum. Et hoc etiam non videtur dici posse, alias nunquam hæc bonitas ex fine reperiretur in actus voluntatis, nisi quando voluntas reflectitur per unum actum supra alium, quod videtur falsum, nam si quis velit dare eleemosynam propter satisfactionem, ibi bonitas est accidentaliter ex fine, et tamen nulla est reflectio actus interioris supra alium, sed tendentia directa in exteriorem actum.

2. *Secunda opinio.*—Secundus modus dicendi est, actum interiorem voluntatis solum dici bonum ab extrinseco fine per denominationem extrinsecam ab alio actu ejusdem voluntatis, a quo aliquo modo imperatur; loquor autem de actu alias bono ex objecto, nam solum respectu illius est proprie hic finis extrinsecus, et bonitas ex illo sumpta accidentaliter est. Hæc sententia mihi verior videtur, quam indicavit Cajetanus 1, 2, quæst. 44, art. 4, dicens hanc bonitatem esse extrinsecum modum actus, sumitur etiam ex eodem Cajetano 1, 2, quæst. 20, tribus primis articulis juncta doctrina ejusdem in 1, 2, quæst. 18, art. 6, nam ibi dicit omnem bonitatem ex fine per se primo esse in interiori actu, in exteriori vero per denominationem ab illo; hic autem dicit

actus imperatos a voluntate, ut sic, quoad hoc numerandos esse inter actus exteriores, quamvis alioqui sint elicit, potest etiam hæc sententia sumi ex eodem D. Thoma, 1, 2, q. 13, art. 1. Clarius ex quæst. 2, de Malo, art. 4, ad 9. Item ex omnibus locis, in quibus docet hujusmodi finem non esse objectum, sed circumstantiam etiam respectu interioris actus voluntatis.

3. Atque hinc sumi potest ratio a priori hujus sententiæ, quia hujusmodi finis nullo modo est objectum nec materiale, nec formale illius actus, qui denominatur accidentaliter bonus ex tali fine; ergo in illo actu nulla est intrinseca tendentia, vel habitudo ad talem finem. Patet consequentia; quia interior actus solum habet intrinsecam habitudinem, et tendentiam ad objectum, item quia si hoc modo tenderet in illum finem, esset volendo illum, vel propter illum tanquam ad rationem objectivam: si ergo ille finis non est objectum, neque in actu esse potest intrinseca tendentia in illum: ergo bonitas illa ex fine non potest esse aliquid intrinsecum in tali actu, quia necessario dicere deberet habitudinem, et tendentiam in illum finem. Superest probandum primum antecedens, quod primo declaratur exemplo. Nam quando aliquis vult amare Deum propter meritum, licet illa voluntas prior habeat pro objecto amorem Dei, tamen ipse amor, qui ex vi illius exercetur, solum habet Deum pro materiali objecto, quia solum Dei amor est: similiter, quamvis bonitas meriti, ut sic, sit formalis ratio objectiva prioris voluntatis, non tamen amoris Dei: nam si est verus amor charitatis, solum amat Deum propter bonitatem ipsius: ergo respectu hujus actus ille finis non se habet ut objectum, sed ut causa movens remota, ut significavit D. Thomas 1, 2, quæst. 18, art. 4. Ratio autem est, quia unus actus unum tantum habet materiale objectum et formale: quando ergo hoc est intrinsecum, totum id, quod extrinsecum est, non habet rationem formalis objecti.

4. Secunda principalis ratio confici posset ex longo discursu supra posito, disp. 4, sect. 3, de specificatione ex objecto, et de pura electione, quia id, quod dicitur intrinsece addi actui ex fine, non potest esse partialis entitas, nec modus realis intrinsece illi primum inhærens. Primum constat ex rationibus supra factis, quæ hic breviter urgeri possunt: nam si ibi sunt duæ entitates: una est, verbi gratia, poenitentia: alia est misericordiae elicentis, quia suppono objectum, et finem ad virtutes diver-

sas pertinere: ergo non erunt duæ partiales entitates, sed duo actus distincti. Cur enim, aut in quo unirentur? aut cur non generarent unum habitum similiter compositum ex duplici virtute? Item revera illa entitas, quæ specificaretur ex fine poenitentia, non esset imperata, sed elicit a virtute poenitentia: esset ergo ille actus elicitus a duplici virtute secundum partes diversas, quæ omnia absurda sunt.

5. Altera vero pars de modo intrinseco, facile etiam excluditur ratione proxime facta, et quia si daretur talis modus, ille haberet propriam speciem a fine, quem respiceret ut objectum proprium, finis autem, qui ita habet rationem objecti, est per se sufficiens ad constituendum proprium actum distinctum ab omni alio: nunquam ergo dat accidentalem modum alteri actui. Quod ita potest etiam intelligi, quia si ille esset modus intrinsecus accidentaliterque actus supponeret substantiam ejus, et superveniret illi: hoc autem esse non potest respectu finis, quia omnis tendentia intrinseca voluntatis in finem est prior quocumque actu imperato ex tali fine. Ultimo est apud me sufficiens ratio, quia hæc denominatio sufficit ad omnia quæ possunt convenire huic actui: et ex vi imperii voluntatis, ut sic, nihil aliud necessario additur actui imperato præter substantiam ejus, quam habet ex propria facultate, et objecto ejus; ergo nihil aliud fingendum est, neque est necessarium. Major patet, quia hoc ipso quod intelligitur actus ex objecto bonus, et imperatus ab alio etiam bono tendente in bonum finem extrinsecum, et ordinante actum imperatum in illum, intelligitur sufficienter bonitas intrinseca utriusque actus, et extrinseca informatio, vel denominatio unius ab alio. Minor vero patet in actibus externis a voluntate imperatis, quia ab illo imperio dominantur boni, etsi nihil in eis ponat præter substantiam eorum; et ratio est, quia hoc imperium non consistit nisi in quadam efficientia, fortasse non physica, sed moraliter per consensionem et subordinationem potentiarum ejusdem animæ: hæc ergo ratio imperii nihil ponit in actu imperato, nisi dependentiam quamdam, quasi applicationem ad opus, ratione cujus unus actus denominatur ab alio, et refertur in finem suum: ergo idem est iudicium de bonitate solum fundata in hoc imperio.

6. *Ad primum argumentum, in num. 1.*—Ad primum argumentum in principio factum, respondetur finem extrinsecum respectu actus

imperati et extrinsecus ordinati in ipsum non habere rationem objecti, nec materialis, nec formalis, sed circumstantiæ, seu causæ remotæ moventis, et applicantis voluntatem ad talem actum medio actu intentionis, seu electionis, ut satis significavit divus Thomas 1, 2, quæst. 18, art. 4, distinguens finem ab objecto, et dicens a fine sumi bonitatem, ut a causa bonitatis, et q. 19, art. 2, ad 4, dicens respectu actus voluntatis, finem habere rationem objecti, præterquam cum finis ordinatur ad finem, et intentio ad intentionem: quapropter in actu sic ordinato non oportet intelligere intrinsecam tendentiam in talem finem, sed solum dependentiam ab alio actu respiciente illum finem: et hoc modo dicitur esse propter finem denominationem extrinsecam, sicut actus exterior: quapropter ille actus non proprie habet rationem electionis, sed potius medii eliciti, et quasi usus passivi.

7. *Ad secundum argumentum in eodem n. 1.*—Ad secundum respondetur ex actu imperante et imperato, ut sic, quodammodo componi actum moraliter unum, sicut ex actu interiori et exteriori, et hoc modo dicitur ille actus meritorius, et formaliter bonus, et efficere hominem bonum: sed hoc totum habet ratione actus imperantis, actui tamen imperato, ut sic conveniunt hæc per denominationem extrinsecam, seclusa bonitate, quam talis actus potest habere ex suo objecto, nam ut sic, habet rationem actus interioris eliciti a voluntate, et in hoc est differentia inter illum et exteriorem, per quod responsum est ad confirmationem.

8. *Unus modus quo satisfit argumentum tertium in eodem num. 1.*—Tertium argumentum petit, quis sit actus voluntatis, a quo sumitur hæc denominatio; ad quod respondetur denominationem hanc posse sumi duobus modis in argumento insinuat. Primus et clarior est, quando intercedit formale imperium unius actus voluntatis ab alio, scilicet, quia unus actus cedit in objectum formaliter volitum sua propria ratione et motivo, qui modus operandi facilius contingit quando actus imperatus est vere interior, ut cum volo amare, dolere, etc., et tunc facilis est responsio ad argumentum, nec difficultatem ullam habet, quod voluntas hujusmodi reflexionem facile faciat: quando autem actus imperatus est exterior, ut eleemosyna, jejunia, etc., tunc frequenter potest accidere, ut ab eodem actu electionis efficacis, quæ immediate fit propter finem operantis, imperetur etiam talis actus exterior, et tunc in actu interiori nulla erit bonitas sumpta ab alio

actu exteriori, ut ab objecto, ut supra dictum est, et consequenter neque actus exterior, ut actus est, denominabitur bonus, nisi bonitate sumpta ex fine media electione; aliquando vero potest actus exterior, et propter se, et propter extrinsecum finem imperari immediate, et tunc erunt in voluntate duo actus sese concomitantes, et eundem exteriorem actum dupliciter denominantes; tandem potest interdum voluntas per electionem factam ob finem extrinsecum imperare totum actum alterius virtutis, ut compositum ex exteriori et interiori, ut quando ex intentione merendi imperio mihi actum misericordiae, non tantum externum, sed etiam voluntatem merendi, quia etiam illa est actus medium ad talem finem, et tunc eadem est ratio de tali actu, quae de medio interiori: quando autem voluntas operetur uno, vel alio modo, non potest facile discerni nisi in his, qui magna animadversione, et reflexione operantur: potest autem conjectura sumi considerata ratione finis et mediorum, seu actuum et proportionem eorum inter se.

9. *Alter modus.* — Alter modus, quo potest hoc imperium, seu relatio in finem excogitari est ex vi solius intentionis immediate transiendo ad eliciendum actum alterius virtutis, ommissa formali electione media: ut si quis habeat intentionem bene merendi coram Deo, et consulat de mediis, seu modo, et iudicet amorem Dei propter se ipsum et super omnia esse aptissimum ad illum finem consequendum, potest, ut videtur, voluntas pro libertate sua statim elicere amorem Dei propter seipsum, in quo apparet magna differentia inter actum exteriorem et interiorem, nam exterior pendet omnino a formali applicatione voluntatis, et ideo quamvis voluntas intendat finem, et intellectus iudicet motionem manus esse aptum medium ad illum finem, nunquam manus movebitur, donec voluntas eligat, et utatur illa: at vero voluntas potest se ipsam determinare immediate ad actus suos, et accidentarium est, quod per unum actum determinetur ad alium quoad exercitium, et ideo si ex parte intellectus sit objectum sufficienter propositum, potest immediate exire in actum elicatum ante actum formaliter imperantem, et forte hic operandi modus frequentissimus est.

## SECTIO V.

*Qualis relatio in finem requiratur ad hanc bonitatem.*

Ratio dubii est, quia solent distingui varia-

relationes, interpretativa habitualis tantum, id est, ex solo habitu procedens: habitualis procedens ex praecedenti actu solum, quia praecessit virtualis, ex praecedenti actu media virtute relicta et durante, ac influente, et actualis, quae est per actualem intentionem talis finis, seu actuale imperium, et de singulis sunt opiniones.

1. *Prima opinio rejicitur multipliciter.* — Prima ergo affirmat sufficere intentionem interpretativam, quae tunc esse censetur, quando homo est ita affectus et dispositus, quod si talis finis in suam cogitationem veniret, actum suum in ullum referret. Sed hunc dicendi modum apud nullum scriptum invenio, neque habet fundamentum, aut probabilitatem, quia illa conditionalis nihil ponit in esse, imo nec cognosci potest, nisi a solo Deo. Item quia similis dispositio non sufficit ad culpam, non enim, ut saepe apud Augustinum legitur, iudicabit nos Deus per ea quae faceremus, si haec, vel illae occasiones occurrerent, aut si tales cogitationes in nobis excitari permetteret, sed per ea, quae facimus, imo ad magnam Dei gratiam pertinet, quando hominem praeventit, et non permittit in eam cogitationem incidere, cum qua scit fore peccaturum: ergo multo minus sufficet illa dispositio ad bonitatem, quae perfectiorem voluntatem requirit. Denique actus ille ex vi illius dispositionis operantis non habet bonitatem intrinsecam ex fine, quia non tendit in illum per se ipsum, et suam intrinsecam entitatem, neque etiam habet bonitatem extrinsecam, quia nullo modo refertur in talem finem ab aliquo extrinseco principio: ergo nullo modo.

2. *Secunda opinio de relatione habituali.* — Secunda sententia est: sufficere relationem habitualement, id est, quae censetur esse in operante per solum habitum virtutis, a quo censetur intrinsece informari virtutis actus, praesertim a gratia et charitate, pro hac opinione referri potest Soto, l. 3, de Natura, et Gratia, c. 4, concl. 2, qui citat Cajetanum 1, 2, q. 106, art. 9, videtur favere, quaest. 21, art. 4, et aliqui ex scholasticis infra citandis.

3. *Probabilis est, sed non in sensu hic intento.* — Sed oportet advertere aliud esse loqui de bonitate propria sumpta: aliud de ratione meriti. Item aliud esse loqui de circumstantia, seu dignitate personae operantis: aliud vero de circumstantia finis, de qua nunc agimus; quod autem attinet ad meritum, probabilis sententia est habitualement dignitatem personae operantis, praesertim illam, quae est per gra-

tiam et charitatem, multum conferre ad rationem, vel augmentum meriti, praesertim si ex parte actus sit sufficiens bonitas: tunc autem non concurrat habitus, ut principium dans actui bonitatem ex fine, sed ut circumstantia personae significans illam, et consequenter conferens ad valorem morale actus, ut supra dictum est.

4. *In sensu nunc intento improbat.* — *Primum argumentum contra hanc opinionem.* — *Secundum argumentum.* — At vero agendo proprie de bonitate, quae ex fine operantis redundat in actum ejus, dicendum est sine dubio ad illam non sufficere habitum virtutis, ut plane docet D. Thomas, in 2, d. 38, q. 1, art. 1, ad 4, et d. 40, q. 1, art. 5, ad 6, et idem sentit Cajetanus, 1 part., q. 63, a. 6, et idem Durandus, d. 40, q. 2, n. 11, Scotus, d. 41, Adrianus, quodlib. 10, art. 3, ad 4, et probatur, quia habitus non confert bonitatem, nisi aut eliciendo, aut imperando: ergo si neutro modo concurrat, nullam confert bonitatem: ergo sola existentia, seu concomitantia ejus in subjecto non satis est, ut det bonitatem, quia potest illi adesse, et neutro ex dictis modis concurrere. Antecedens patet, quia habitus tantum est causa extrinseca actus: ergo solum media sua causalitate potest concurrere ad bonitatem ejus: et confirmatur, quia habitibus, ut sic, nec meremur, nec demeremur, nisi influant in opus: non potest autem intelligi alius modus influxus praeter dictos. Confirmatur secundo, quia alias in homine justo quilibet actus virtutis haberet bonitatem omnium virtutum, vel saltem plurimarum, quia in illo homine sunt habitualiter omnes virtutes, et quilibet actus virtutis, est referibilis in finem omnium, vel saltem plurimarum. Tandem quamvis infidelis, et peccator careat virtutibus, et habeat plures habitus vitiorum, non propterea refert actus suos etiam malos, vel indifferentes ad finem, seu objecta talium vitiorum, neque inde accipiunt opera ejus aliquam malitiam; ergo idem est a fortiori de actibus bonis.

5. *Tertia opinio de alio modo relationis habitualis.* — Tertia sententia est sufficere ad hanc bonitatem relationem habitualement relictam moraliter ex aliquo actu praeterito, etiamsi postea nihil influat in actum, sed moraliter illum denominet. Quam sententiam videntur interdum insinuare scholastici, in 2, d. 41, praesertim D. Bonaventura, art. 1, quaest. 3, et Gabriel, q. unica, art. 3, dubio 2. Fundamentum esse potest, quia si prior relatio talis

fuit, quae subsequentem actum comprehenderet, plane censetur perseverare quamdiu non datur retractatio, quod erit quotiescumque subsequens opus non repugnat priori fini, sed est illi consentaneum. Confirmatur, quia in omni bono opere ex objecto, operatur homo propter se ipsum proxime, quia operatur propter convenientiam ad rationem, seu naturam rationalem; ergo si prius per se ipsum, et omnia sua retulit in Deum, id satis erit, ut caetera opera virtute referantur in ipsum. Et idem argumentum fieri potest de actibus indifferentibus, in quibus speciale esset inconveniens hoc non admittere, quia alias quamplurimi male fierent ex defectu relationis in finem.

6. *Displicet dicta opinio.* — Sed nihilominus haec sententia mihi non probatur, sicut neque aliis theologis, dicta d. 41, praesertim Aegidio, q. 1, art. 2, et Scoto, q. 1, et quodlibeto 17, art. 2, nec Bonaventura et Gabriel aperte contradicunt, sed confuse loquuntur de relatione virtuali, quod in Cajetano et aliis auctoribus notandum est. Probatur autem illam relationem non sufficere, quia aliud est relationem in finem objective cadere in aliqua opera, aliud effective, seu imperative; illa autem relatio, quae praecessit, quamvis cadat objective in sequentia opera, non sufficit, quia fieri potest, ut omnia illa respiciat, ut materiale objectum, ut cum aliquis in principio Dei, aut vitae opera illius temporis refert in Deum; tamen hoc non est satis, ut talia opera sint effective, seu imperative ab illa relatione, quia ad priorem respectum sufficit, quod illa opera aliquo modo represententur objective in intellectu, quando fit illa relatio, ad posteriorem autem oportet, ut quando fit ipsum opus, ad illud excitetur operans aliquo modo ex vi illius relationis, quia efficientia, neque potest intelligi sine aliquo influxu: hic autem totus influxus consistit in hac excitatione, seu applicatione ad opus: ut autem intentio det operi bonitatem aliquam, non sufficit habitudo ad aliud, ut ad objectum, ut per se notum est, quia actus nec physice, nec moraliter informat objectum, ut objectum, sed potius e contrario; unde etiam alienos actus possumus, ut objectum respicere, et referre in Deum, et non inde accipiunt bonitatem; requiritur ergo causalis relatio, quae aliquo modo sit per modum imperii: actus autem, qui praecessit omnino, et neque in actu, neque in memoria, neque alio simili modo manet, nullo modo concurrat causaliter, ad praesentem actum, sed ita operatur homo, ac si nullo modo illum habuisset; ergo

ex illa relatione præterita nullam bonitatem habet præsens actio. Atque hoc confirmat vulgatum exemplum de eo, qui retulit omnia opera sua in pravum aliquem finem, ut in dolum, quia non est necesse malitiam illius relationis redundare in omnia opera sequentia, etiamsi retractata non sit.

7. *Quarta opinio de relatione actuali.*—Propter hæc, est quarta sententia, quæ requirit actualem relationem ad hanc bonitatem per formalem intentionem, vel actum imperatum, quam significat Durandus, in 2, d. 40, quæst. 2, n. 7 et 11, quanquam non satis rem explicet: probatur autem, quia, secluso actu, et relatione præterita, ac ipso habitu, nihil remanet, quod possit sufficere. Dices sat esse virtutem aliquam ex priori actu relictam, sed inquiri, quid sit illa virtus, aut enim est aliquid in voluntate, vel in intellectu; non primum, quia in voluntate tantum sunt aut habitus, aut actus: sed non est habitus, ut dictum est: si autem est actus, erit actualis, et non virtualis relatio, atque eodem argumento probari potest non esse in intellectu, quia neque potest esse habitus, neque actus, præsertim, quia hæc virtus debet movere voluntatem quoad exercitium ex parte ipsius potentia: intellectus autem nunquam movet nisi ex parte objecti quoad specificationem.

8. *Quinta opinio auctoris de relatione virtuali.*—Nihilominus dicendum est sufficere relationem virtualement ex vi intensionis, seu imperii relictæ, et virtute permanentis, ut ex fine habeat operatio humana aliquam moralitatem et laudabilitatem: est enim hæc expressa sententia D. Thomæ 3, contra Gentes, cap. 138, ratione 3, ubi dicit: *Voluntas præcedens actum virtute manet in tota consecutione actus, et ipsum laudabilem reddit etiam cum de proposito voluntatis propter quod actus incepit in executione operis non cogitatur*: idem, q. 2, de Malo, art. 8, argumento 11, cum solutione, et quæst. 2, de Virtut., art. 11, ad 2, et sumitur etiam ex 2, 2, quæst. 83, art. 13, ubi agens de ratione dicit posse imperatoriam esse, et meritoriam sine intentione actuali, quando fit sine culpa, et revera Bonaventura, Gabriel, Ægidius, et fere alii antiqui scholastici hoc in sensu loquuntur.

9. *Probatur hanc relationem esse frequentem.*—Ratio autem est, quia imprimis negari non potest, quin hic modus operandi non solum sit homini possibilis, etiam valde frequens, sic enim mercenarius tota die dicitur operari pro mercede, et si non semper cogitet de mer-

cede: et qui iter agit, vere dicitur deambulare, ut ad terminum viæ perveniat. Similiter in materia de Sacramentis nihil est certius, quam intentionem virtualement sufficere ad conficiendum Sacramentum, etiamsi formalis non adsit. Item quia quando unus homo per alium operatur, præbendo illi suum consensum, et mandatum, quamdiu non retractat dicitur virtute operari, quidquid alius operatur, quia virtus prioris consensus censetur manere in scriptura, vel mandato: sic ergo fieri potest in his, quæ homo per seipsum operatur ex vi prioris consensus. Præterea est hujus rei argumentum quod homo operetur ex vi prioris intentionis, quia statim, ac illam mutat, cessat ab operando: ergo signum est operari ex aliquo influxu præcedentis voluntatis: quo modo autem hoc sit possibile, statim explicabo.

10. *Deinde probatur sufficere.*—Quod autem hic modus operandi sufficiat ad dictam moralitatem patet imprimis ex communi sentiendi modo omnium hominum, et quia plus ab homine exigere est plusquam humanum. Item quia longe diverso modo moraliter operatur, quia ex intentione honesta se applicuit ad opus de se indifferens, et postea in illo perseverat, cessante actuali cogitatione illius finis, quam alius, qui per voluntatem omnino indifferenter ad idem opus se applicuit, nam hic sæpe censebitur otiose loqui, et operari, ille autem studiose, ut homo. Denique ad hanc denominationem sufficit dependentia moralis, et causalitas unius actus ab alio, ut dictum est: hæc autem tunc intercedit mediate, vel immediate, quia operatio vere procedit aliquo modo ex influxu prioris intentionis; unde refertur aliquo modo in finem ejus, et ex hac parte habet aliquam bonam circumstantiam, scilicet finis, quæ sufficit ad prædictam denominationem, si aliunde nulla sit malitia.

11. *Primus modus explicandi relationem virtualement.*—Ut autem ad difficultatem propositam in n. 7, respondeatur, addendum est tribus modis posse accidere, et applicari hanc relationem. Primus est si duret idem numero actus imperatus, et actus interior imperans interruptus sit, verbi gratia, in oratione vocali, si quis coepit orare intentione implendi præceptum, et in discursu orationis naturaliter distrahitur; nihilominus implet præceptum, et tota illa oratio dicitur esse virtute a priori intentione, cujus virtus manet in ipso opere: et potentia exequens semper manet applicata ex vi illius prioris intentionis, sive hæc applicatio consistat in solâ actione exterioris po-

tentia, sive etiam in aliquo interiori usu voluntatis, et consequenter in aliqua etiam attentione intellectus, quamvis adeo simplici, et remissa, ut sit interceptibilis, sic enim sæpe homo attendit, et tamen si postea reflectatur, non potest judicare, nec cognoscere se attendisse.

12. *Secundus modus.*—Secundus modus est, quando est varietas in ipsis actionibus, et in voluntatibus etiam, seu electionibus, tamen sine totali cessatione, sed immediate transeundo ab una electione, seu intentione ad aliam, ut quando aliquis intentione dicendi sacrum, se præparat, domo exit, incipit indui, etc. Et tunc etiam est facile intelligere quomodo maneat virtus prioris intentionis; manet enim in proxima voluntate, seu electione, et per illam imperat aliam, et sic consequenter, et hos duos modos explicui latius in materia de Sacramentis.

13. *Tertius modus.*—Tertius videtur difficilior, quando omnino interruptitur formalis intentio, et omnis actus, vel voluntas ab illo manans, ut quando intercedit somnus, et postea incipit denuo operari, ut est vulgatum exemplum in eo, qui intentione implendi votum, multis diebus peregrinatur; qui tamen non quotiescumque evigilat, recordatur voti sui, nec repetit intentionem implendi illud, et in hoc casu, et similibus existimo virtutem prioris intentionis applicari media apprehensione, et iudicio, intellectus, nam in prædicto casu statim, ac homo evigilat, apprehendit, et iudicat sibi esse inter agendum, neque inquiri rationem bonitatis, aut convenientia, sed ex vi prioris deliberationis iudicat hoc sibi expedire; et esse agendum, et inde statim movetur ad electiones, vel actiones, quæ statim occurrunt, et tunc merito dicitur operari virtute prioris intentionis, quia tota efficacia inde oritur: nam licet intellectus ex se non possit voluntatem movere nisi objective, et quoad specificationem; tamen virtute prioris voluntatis potest movere efficaciter, et quoad exercitium: hæc autem motio tanto erit melior, et moraliter laudabilior, quanto in objecto, seu actu proposito considerata, vel iudicata fuerit aliqua ratio boni magis accedens ad bonitatem prioris intentionis; fieri enim interdum potest, ut illa prima apprehensio, per quam incipit progredi in opere interrupto, sit tantum de aliquo objecto agendo sub communi ratione convenientis, aut expedientis, seu jam deliberati, vel simpliciter agendi, et tunc formalis intentio est valde indifferens intrinsece, solumque per

denominationem extrinsecam potest ita bona denominari, ut neque censeatur otiosa, interdum vero potest illud primum objectum representari saltem, ut honestum, vel prudenter deliberatum, aut sub alia ratione magis speciali, scilicet, ut pertinens ad cultum Dei, vel quid simile, et tunc intrinsece habebit aliquam bonitatem non ex fine, sed ex objecto, quod actu proponitur: per denominationem autem ex fine habebit speciem ad illum pertinentem, quale est implere votum, vel quid simile, et ita satis responsum est ad difficultatem positam in n. 7.

## DISPUTATIO VII.

## DE MALITIA.

Præter alias differentias inter bonitatem et malitiam, una est, quod voluntas humana non potest fieri actualiter bona sine operatione a se elicitæ, ut supra dictum est: potest autem fieri mala sine ullo actu per voluntariam carentiam actus debiti: hujusmodi enim voluntarium dari potest, ut supra, tract. 2, disp. 1, sect. 5, dictum est, et ad malitiam sufficit propter imperfectionem ejus, ut latius tradi solet 1, 2, q. 71, art. 5, et q. 72, art. 6. Unde fit duplicem esse malitiam, una est quæ proxime denominat actum malum, et per illum, voluntatem: altera, quæ voluntati proxime inest, et illam malam denominat. Quoniam igitur hic de actibus agimus, prior malitia est propria præsentis disputationis, et ideo prius de illa disputabimus, et potest illa generali nomine vocari *malitia commissionis*: in fine tamen aliquid de posteriore addemus, quando carentia actus ex ipso actu facile cognoscatur: de malitia autem actus disputari possunt omnia quæ de bonitate dicta sunt: tamen quia suppositis dictis erunt breviora, omnia comprehendam sub hac unica disputatione, explicando prius absolute rationem malitiæ, postea vero de objecto, circumstantiis et fine pauca tractabimus.

## SECTIO I.

*Utrum sit aliquis actus voluntatis ex se et natura sua malus, etiam seclusa extrinseca prohibitione.*

1. *Præmittuntur qualem ad dubitationem presentem.*—Primo, quod in voluntate humana sint actus mali, per se notum est, et divus Thomas satis hoc disputat 1, 2, q., art. 2.